



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Leodegarius Ep. M. 2. Octobris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

2. Octob. VITÆ SANCTORUM. 619  
lit sanguis. In vitam suam inquisivit ho-  
ris singulis, reum ad Sacerdotis pedes bis  
quotidie se egit, quin neque voce neque  
literis alium se quàm Franciscum peccato-  
rem prætulit. Sed talem peccatorem an-  
no. m. dc. xxiv. Urbanus VIII. Pont.  
Beatum dixit. Ex vitâ.

Quis jam calcari recusabit, cùm videat  
in corculari Christum premi? sane nisi fu-  
mum vani honoris atque existimationis  
propriæ proculcaverimus, facile ab hostibus  
nostris concutcabimus, & Christi discipuli  
esse desinemus. B. Franc. Borg. in E-  
pist.

S. LEO DEGARIUS EP. M.  
2. Octobris.

**N**EMO pulchriùs in hostem suum,  
quàm Pont. Augustodunensis LEO-  
DEGARIUS movit, ut qui huic cum sa-  
cerdis è templo signis obvius ivit, victo-  
riam ratus sub his vinci. Captus itaque,  
tunc demum Christianâ se libertate po-  
titum credidit. Carcerem tenebris ab-  
ditus, igne è cælo misso resplenduit. O-  
culis orbatus, primum Martyrem se esse  
vidit. Nudipes per testas & aspera saxo-  
rum fragmina jussus ambulare, currere  
etiam ad tam optatam metam gestiit. La-  
biis & linguâ multatus, sine labiis tamen  
& linguâ facundus ad concionem dixit.  
Cæsus denique securi, in novos ani-  
mos

620 VITÆ SANCTORUM. 3. Octob.  
mos surrexit, horamque totam vicit  
post mortem stetit, nec nisi à spiculato-  
re impulsus cecidit. At non tam felici  
morte cædis auctores defuncti sunt. Nam  
& carnifex, de quo dixeramus, à malo  
genio correpius in vindices flammæ se  
ipsum immisit, mox in maiores alias  
mittendus; & , qui cædem imperaverat,  
Ebroinus Regiæ aulæ præfetus, gladio,  
quem in innocentem strinxerat, ipse  
nocens occubuit; & demum , qui tu-  
mulum Martyris impiè calcavit, Di-  
vumque sine miraculis injuriosè compel-  
lavit, in ipso vestigio, moriendo men-  
daciem se fassus est, & jam miracula pa-  
trare LEODEGARIUM si non aliis, certè si  
bi credit. Ex Surio.

*Ad sunt defensores nostri sancti Marti-  
res; rogari volunt, & quærunt ut quaran-  
tur. Hos adjutores nostris orationibus que-  
ramus; hos protectores nostri reatus inven-  
niamus; quia ne punire peccatores debeat,  
rogari vult & ipse qui iudicat. S. Greg.  
hom. 32.*

S. JOANNES CHUZUBITA CONF.  
3. Octobris.

**N**on aliud altius in hostem infernum  
vulnus descendit, quam quod à de-  
missi animi dextrâ venit. Misericordia  
JOANNEM CHUZUBITAM Anachore-  
ten alter Anachoretæ Ananias nescio  
quem